Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26002
Copyright: Admont, Benediktinerstift

unam Christi ecclesiam congregato concinunt gaudium evangelizatur et magnum. Quia natus est nobis hodie salva
tor. qui est Christus dominus in civitate David. Haec est potestas prima. hoc regnum filiae Syon. quod praefato
prophetae testimonio promissum est in turre gregis venturum. Ubi notandum quod angelus qui
in noctis utique vigiliis pastores affatur. non ait hac nocte: sed hodie natus est nobis salvator.
non aliam scilicet ob causam. nisi quia gaudium magnum evangelizare veniebat. Nam ubi tristia
quaeque nocturnis temporibus gesta vel gerenda significantur. ibi saepe nox esse adiungitur
vel etiam sola nominatur. ut est illud. Omnes vos scandalum patiemini in ista nocte. Et ali
bi. Amen dico tibi quia tu hodie in nocte hac priusquam bis gallus vocem dederit ter me es
negaturus. Neque enim frustra angelus tanto lumine cinctus apparuit. ut claritas dei
pastores circumfulsisse. hoc est ex omni parte illorum radios luminis aspersisse dicatur. quod
numquam in tota testamenti veteris serie toties angelis apparentibus adiungitur. sed mystice
praemonuit. quod apte post ea monuit apostolus dicens. Nox praecessit dies autem appropinquabit. abiciamus
ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis sicut in die honeste ambulemus. Et hoc vobis sig
num. Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio. Crebris infantia salva
toris et angelorum praeconiis. et evangelistarum nobis est inculcata testimoniis. ut nostris altius cordibus
quod pro nobis sit factus infigatur. quia videlicet vulneratus est propter iniquitates nostras. et infir
matus est propter peccata nostra. Et notandum sollertius quod signum nati salvatoris datur infan
tem non tyrio exceptum ostro. sed pannis squalentibus involutum. non inornatis auro stratoriis.
sed in praesepibus inveniendum. hoc est non tantum humilitatis eum et mortalitatis. sed et paupta
tis habitum suscepisse pro nobis. quia cum dives esset. pauper factus est pro nobis. ut nos illius inopia
ditaremur. Cum esset dominus caelorum pauper factus est in terris. ut terrigenas edoceret paupertate spiritus
regnum adquirere posse caelorum. Et subito facta est cum angelo multitudo militiae cae
lestis. laudantium deum et dicentium gloria in excelsis deo. et in terra pax hominibus bonae
voluntatis. Uno evangelizante nuntio. natum in carne dominum mox multitudo militiae
caelestis advolans. consono in laude creatoris ore prorumpit. ut et suum sic semper obsequium
devotionem Christo impendat et nos suo pariter instituat exemplo. quotiens vel aliquis
fratrum sacrae eruditionis verbis insonuerit. vel ipsi lecta. sive audita quae pieta
tis sunt ad mentem reduxerimus. deo statim laudes. ore. corde et opere reddendas. Et bene chorus
adveniens angelorum militiae caelestis vocabulum accepit. quia et duci illo potenti in proe
lio qui ad debellandas aereas potestates apparuit. humiliter obsecundant. et ipse potes
tates easdem contrarias. ne mortales tantum temptare valeant. quantum volunt fortiter ar
mis caelestibus turbant. Nam sicut imperatoris optimi provisione cuncta manu militari
loca adversus hostilem muniuntur adventum. ita et deus quoniam inmundi spiritus ad pacis
eversionem ubique versantur ad tutelam nostram constituit exercitus angelorum. quorum praesentia
et daemonum constringatur audacia. et nobis pacis gratia ministretur. Quia vero deus et homo nascitur.
iure hominibus pax et gloria canitur. Glorificant angeli deum pro nostra redemptione incarnatum. quia
dum nos conspiciunt recipi. suum gaudent numerum repleri. Optant pacem hominibus.
quia quos infirmos prius abiectosque conspexerant. nascente in carne domino. iam socios venerantur.